

æque ab initio dilectus : publicum in eum studium ipsius funus declaravit, quod postea frequenti populo est celebratum. Ex eo funere multitudo in Auream ædem se recepit: ubi ad tollendam seditionem, quæ civitati cæde Ducis consternatæ instare videbatur, Decemviri continuo creati sunt, ac jurejurando adacti, neminem se Ducem declaraturos, nisi quem declaratum e Republica fore intelligerent. Sunt qui non ad creandum Ducem, sed ad parricidium vindicandum Decemviros a populo creatos dicant: nec tantum in præsens tempus, sed ut quotiens quis summum magistratum violasset, quem sacrosanctum esse volebant, atroci supplicio scelus vindicarent. Alii quadraginta viros tum creatos affirmant, qui Principem in demortui locum legerent. Ubi itaque inter eos de creando Duce cæptum est agi, ferunt omnium suffragia ad Aureum Mastropetrum inclinasse, virum innocentia singularis, ac miri consilii, & qui unus ex Decemviris tunc erat. Tum illum, ut incredibili erat in Rempublicam charitate, collegis persuasisse, ut in alium utiliorem Reipublicæ civem sua verterent suffragia: ac cum his Sebastianum Cianum nominasse, hominem septuagenarium, ac divitiis præpotentem: eum dicere civitati longe utiliorem futurum; quippe qui ea temporum novitate non consilio solum, sed auro quoque (quo in primis auxilio esset opus) Rempublicam posset facile juvare. Qua unius Aurei modestia aperte datur intelligi, quam modica viri illi optimi laborarent ambitione: qua essent charitate in patriam affecti, qui publicum bonum omnibus suis commodis anteponerent.

1172

*Decemviri
quando pri-
mum creati.*

*Aureus Ma-
stropetrus
Ducatum
recusat.*

Secuti collegæ Aurei consilium, Cianum Ducem declaraverunt, quem miro consensu populus probavit. Et quia multa & magna domi forisque eo Principe gesta sunt, a domestica auspicabimur narratione. Igitur per id tempus, quo Dux ille declaratus est, tres eximia magnitudinis columnæ ex Græcia advectæ sunt (quidam ex Constantinopoli tradunt, sed id Emanuele imperante, quomodo fieri potuerit non intelligo) onerariis navibus, quas vulgo *Zataras* vocant, ad eam molem subvehendam usos reperio. Illarum

*Sebastianus
Cianus crea-
tur Dux.*

rum